

laetitia. Haec cum fiunt, abjicitur illa naturalis quaedam censura, gravitasque morum: nec teneri potest illa, quae in rebus gerendis atque consiliis sola potest auctoritatem suam, atque illud, quod deceat, tenere, constantia. Gravior autem appetitus ex indignatione nimia nascitur, quam acceptae plerumque accedit injuria dolor. De quo satis nos Psalmi, quem in praefatione posuimus, praecepta instruunt. Pulchre autem et hoc accidit, ut scripturi de Officiis, ea praefationis nostrae assertione utamur, quae et ipsa ad officii magisterium pertineret.

DE TRIBUS GENERIBUS HOMINUM INJURIAS ACCIPIENTIUM.

Sed quia supra, ut oportebat, perstrinximus, quemadmodum unusquisque cavere possit, ne excitetur accepta injuria, verentes, ne praefatio prolixior fieret, nunc de eo uberius disputandum arbitror. Locus enim opportunus est, ut in partibus temperantiae dicamus, quemadmodum reprimatur iracundia. Tria itaque genera esse hominum injuriam accipientium, in Scripturis divinis demonstrare volumus, si possumus. Unum est eorum, quibus peccator insultat, conviciatur, inequitat. Iis, quia deest justitia, pudor crescit, augeatur dolor. Horum similes plurimi de meo ordine, de meo numero. Nam mihi infirmo si quis injuriam facit, forsitan, licet infirmus, donem injuriam meam. Si crimen objiciat, non sum tantus, ut sim contentus conscientia mea, etiamsi me ejus objecti alienum neverim, sed cupio abluere ingenui pudoris notam, tanquam infirmus. Ergo oculum pro oculo et dentem pro dente exigo, et convicium convicio rependo. Si vero is sum, qui proficiam, etsi nondum perfectus, non retorquo contumeliam: et si influat ille conviciis, et inundet aures meas contumeliis, ego taceo, et nihil respondeo. Si vero perfectus sim (verbi gratia loquor, nam veritate infirmus sum) si ergo perfectus sim, benedico maledicentem, sicut benedicebat et Paulus, qui ait: Maledici-